

VII. *TULL.* Cum Scriptores Numarios celebres adieris, varie nihilominus eosdem repræsentatos intueberis. Apud *Patinum* p. 149. in æreo medio *Traiani* Numo *Tripolitanorum*, exhibentur Capitibus jugatis, & laureatis, absque pileis, & stellis. Exactius vero comparent apud Cl. *Frælichium* Tab V. n. 5. in Ære magno *Seleuci III. Cerauni* Syria Regis, æque capitibus juvenibus jugatis, & laureatis, præterea tamen pileatis pariter, ac stellatis. Unus duntaxat eorum cernitur apud *Patinum* p. 252. in ære medio *Getae*, stans cum hasta, & equo, superscripto nomine *CASTOR*. Iterum vero p. 413. exhibuit is in Indice Numum *Fausinae* Senioris, ab *Ascalonitis* cûsum, ubi ambo stant, militariter vestiti, cum hastis, ac parazoniis, capitibus nudis, quibus tamen *Stella* imminet, *Luna* intermedia.

VIII. Apud *Montfoconium* Tom. I. Part. II. Tab. 194. plures pinguntur Numi Consulares, ubi *Castor* & *Pollux* nudi simul adsunt cum hastis, jam pileati, & stellati, jam galeati, jam cum, jam sine equis. In quodam ibidem denario *Caii Censorini* cursitat Equus liber, ac desuper pinguntur duo Pilei stellati *Dioscurorum*. Apud *Eruditiss. D. Liebe* G. N. p. 168. in æreo medio *Berytensium* Numo *Dii* isti consimiliter designantur per solos Pileos, erecto *Tridenti*, cui *Delphin* implexus, hinc & inde appositos, Cujusmodi mero symbolo suo, vel cum, vel sine stellis, per sæpe in *Regum Syriae*, itemque *Maritimarum Urbium Numis* indicantur.

DIALOGUS XXXI.

De Laribus, Penatibus, Termino, & Hermis.

PUBLIUS.

I.
TAB. VI
N. IV.

IN quarto Tabulae tuae VI. tab. Numo æque duo *Juvenes* nudi uno in scamno confident cum hastis, medio infra inter eosdem cane, & supra parvulo capite pileato, addito forfice, ut videatur esse *Vulcani*. Pone juvenes hinc &

& inde contractis literis lego, ni fallar: LARE. s. Infra: *Lucius CAESI. us. TULL.* Recte vidisti singula. Vulgavit hunc Denarium *Patinus* in *Gente Caesia* p. 54. cum capite *Vejovis*, i. e. Jovis juvenis in Adversa, fulmen post tergum librantis. Interim Notitiæ Veterum de *Geniis*, *Laribus*, *Penatibus*, adeo perplexæ sunt, ut ægre admodum hos a se invicem distinguere liceat. Verosimillime censeas, *Genios*, proprie dictos, fuisse Tutelares Personarum singularium: *Lares* autem Tutelares Domuum privatarum: *Penates* demum Tutelares Urbium, ac Provinciarum. Omnes porro e numero minorum, sed priorum Deorum exstiterant, cum cæteri Dii Majores communes fuerint universo Generi humano: quemadmodum Cælum, Aër, Sol, Terra, communis usus quotidie sunt.

Larium primi dicebantur Filii *Mercurii*, & *Lara*, quam Jupiter, quod Junoni adulteria ejus prodiderit, lingua privasse fingebatur. Hujus porro fidei ergo, Junoni præstitæ, Filii ejus pro Diis domesticis, & familiaribus habiti sunt, adeo, ut *Ædes* ipse *Lares* appellarentur. Commendata ipsis Custodia domus, cum primis vero Liberorum. Ara Deorum *Larium*, ut habet vetus *Horatii* Scholiastes, *Focus fuit habitus*: ubi thure, ac floribus, & particulis Ciborum de mensa honorabantur. Unde *Tibullus* cecinit:

II.

Epod. II.

Libr. I.

Eleg. I.

v. 31.

Adfatis Divi, nec vos e paupere mensa
Dona, nec e puris spernite fictilibus.

Item *Plautus* Comicus, qui voce *Lar*, præter consuetudinem, singulari numero usus est:

In Aulul.

II. 8. 15.

Nunc thusculum emi, & hasce coronas floreas.

Haec imponentur in foco nostro Lari,

Ut fortunatas faciat Gnatæ nostræ nuptias.

Habebantur plerumque pro *Diis Manibus*, i. e. animabus defunctorum ex Familia, in domo propria sepulcorum, & exorabantur.

III.

bantur : Ut, cum Diis jam conversantes, incrementum, ac utilitatem suæ Stirpis procurarent. Item, ut *Lemures* nocturnos, aut potius *Larvas*, i. e. Animas ob delicta sua incerta vagatione oberantes domo pellerent. Post eum, ut inferorum Deorum iras ab omni familia propitii averterent. Quapropter, juxta *Festum*, ad Focum tot *Pilæ*, scilicet *Virilia*, & muliebria *Signa* & *Simulacra* lanea, quot erant in domo *Liberi*, suspendebantur, ut signis his inferi dii placati, viventibus parcerent.

IV. Quæstion. Romanar. 10. Pastor. V. 13. Cum primis vero ad Numi præsentis illustrationem facit, quod agebat *Plutarchus*: „ *Laribus*, quos proprie *Præsites* vocant, *Canes* „ assistunt, & ipsi *Canum* pellibus amiciuntur: quoniam, qui „ *Præsides* sunt, eos alienis formidolosos esse oportet, domesti- „ cis vero mites, ac mansuetos. „ Idem eleganter cecinit *Ovidius*:

At *Canis* ante pedes saxo fabricatus eodem

Stabat: quæ standi cum *Lare* causa fuit?

Servat uterque domum, domino quoque fidus
uterque:

Compita grata Deo, compita grata *Lari*.!

Exagitant & *Lar*, & turba *Diamia* fures:

Pervigilantque *Lares*, pervigilantque *Canes*.

Tom. I. Unde, observante Celeberr. *Montfalconio*, in Monumentis *Larium*,
P. II. P. licet valde paucis, quandoque *Canes*, ipsorum *Larium* loco, com-
320. parent.

V.

Vulcani parvulum caput quod attinet, hic supra *Lares* positum, innuit illud, hos in Foco, cujus ille *Præses* est, cultos fuisse, simulque huic, & illis, fieri *Sacra* consuevisse. Cui testis esse potest *Basis* illa *Signi* publici, quod statuit *Augustus Cæsar*

Apud Ur. fin. in Fa- mil. p. 55.
ita inscripta:

Vul

Volcano. Laribus. publicis. Sacrum. Imp.
 Caesar. Augustus. Pontifex. Maximus.
 Tribunus. Potest. XVIII. ex Stipe.
 quam. Populus. ei. contulit. K. Ja-
 nuar. apfenti. C. Calvisio. Sabino. L.
 Passieno Rufo Coff. *ulibus.*

Laudantur hic *Lares publici*, quod omnium privatorum *Larium* festa publica quotannis agi præceptum fuerit. Ita namque *Dionysius Halicarnaseus* de *Servio Tullo* Rege: „ Deinde per omnia com-
 „ pita *Laribus* propitiis Sacella exstrui iussit, & legē stravit, ut
 „ quotannis illis Sacrificia fierent, singulis Familiis Liba conse-
 „ rentibus. „ Dicebantur hæc festa *Laralia*, & mensē Decembri Saturnalia fiebant.

Locus *Larium* fuit ante fores domuum, nisi rectius post illas. Apellati sunt *Nigri* a foco, ubi colebantur: *Parvi* ab imaginis, qua erant, exiguitate: *Compitales*, *Rurales*, *Viales*, cum ubique præsiderent: *Permarini* quoque, siquidem & Naves pariter, quasi Domus natantes, ubi mora longa inter summa pericula trahebatur, his Custodibus carere non debuerant. Pendebant ante eos, præter effigies Liberorum, atque lanea Simulacra Servorum, & ancillarum, etiam Bullæ Adolescentum, qui Annum decimum quintum ingressi sunt, quas antea in pueritiæ Signum a collo pendulas gestaverant. Item Vincula, & catenæ, si quidem de Familia, captivi aliquando, libertatem recuperaverint: Arma Militum Emeritorum: Scipiones, & fulcra infirmorum, qui ex infirmitatibus, & languoribus convaluerunt: & alia sexcenta beneficiorum, a *Laribus*, ut fatui opinabantur, obtentorum anathemata. Quinam autem Dii pro peculiaribus Domus Custodibus, adeoque pro *Laribus* habiti fuerint, nemo unicuique Patrum familias hanc electionem, pro fide, & affectu suo liberam fuisse, ac proinde non raro maximos etiam Deos foco privato inter *Lares* domestica religione cultos fuisse. *Alexander Severus*
 Im-

VI.

Imperator, cui Mater *Mammea* Christiana fuerat, tantam de Christo concepit opinionem, ut eum *Larario* suo intulisse feratur.

VII. *PUBL.* Quintus, quem pinxisti, Numus refert capita duo
TAB. VI jugata, & laureata, cum lampade, aut simpulo, ante facies, &
N. V. subscriptione: D. PP. An recte lego: D. ei PP. enates? *TULL.*
Ne dubites. Semel, ac iterum, exstat hic Numus apud *Patinum*, licet nonnihil diversus: primum p. 18. in Gente *Antia* sine lampade, sed cum integra Epigraphe: DEI PENATES: deinde in Gente *Sulpicia* p. 270. ut hic, sed cum lampade retro colum. Tertium insuper apud *Montfoconium* ex Begero, rursus cum lampadis defectu. Aversa exhibet Milites galeatos adstantes cum hastis, media inter eosdem grandi Scrofa, i. e. Porca foeta, plurimos porcellos effundente. Infra scribitur: C. ajus SULPICIUS C. aii F. ilius.

VIII. Utrobique creduntur *Dii Penates* exhiberi. Testatur enim
Libr. de iis *Dionysius* Halicarnasseus: „ Erant juvenes duo Viri seden-
VIII. „ tes, hastis armati, veterique mori sculpti. Alias quoque sta-
„ tuas eorundem Deorum habemus in antiquis templis, quæ sta-
„ tuæ militari omnes cultu sunt. „ Sortiebantur a Græcis varia No-
mina, quæ, latine transposita, sonant *Paternos Deos*, *Indigenas*,
aut *Aborigenes*, *Possessionum Deos*, *Arvanos*, aut *Secretos*, *Defensores*,
& *Septorum Custodes*. Quæ quidem omnia, si rem spectes, in idem
facile recidunt. Interim, quæ de ipsis, de *Laribus*, deque *Geniis*
prædicantur, ejusmodi sæpe sunt, ut his omnibus conveniant,
& nescias fere, quæ tandem singulorum propria censeantur, Hoc
tamen ignorare nullo detrimento poterimus.

IX. Origo *Penatium* nihilominus a fabulatoribus e Cælo repetitur. *Dardanus* enim, ajunt, postea *Teucrorum* Rex, *Jovis* & *Electrae* filius, vel a Matre, vel conjuge *Batea*, obtinuit Signa cælestia, & *Palladis* dona, scilicet *Palladium*, aliasque Magnorum ac Tutelarium Deorum imagunculas. Quas, cum Arcadibus plurimis in *Samothraciam* transmigrans, detulit secum, & subteraneo in templo repositas, ne cuiquam innotescerent, arcanissima religione coluerat. Redux in *Asiam*, exstructo a se Illo, eas ibidem pari sub secreto recondidit. *Aeneas* porro, everfa *Troja* profugus, easdem secum advexit *Lavinium*: unde illas *Ascanius*

nus filius novam in Albam suam longam traduxit, sed eadem nocte sponte sua Lavinum reversas. Ubi proinde a sexcentis custodibus, nesciis tamen, quid servarent, sacrosancta religione munebantur. Demum, condita Roma, illuc a *Romulo* traductæ, libenter ibi perstitere ob Urbis illius futuram aternitatem: & in templo Vestæ, denuo subterraneo, quo nemini præter Virgines Vestales accessus patuerat, abscondæ sunt. Qualium Deorum imagines fuerint, hariolabantur multi, tuto autem Nemo nullus rescivit.

Scrofa, sive Porca foeta, in altera hujus Numi parte expressa, pariter ad Lavinum attinet, ab Aenea noviter constructum. Uno quippe partu triginta porcellos albos effundens, quod præter solitum erat, quamvis mysterium tunc non intelligeretur, postea tamen Oraculi loco, per *Deos Penates* editi, habitum fuit. Quasi nimirum tricenarius catulorum numerus præsignare debuerit, triginta post annos a condito Lavinio novam Urbem erigendam esse, scilicet Albam Longam, quæ Romæ postea æternæ felix Mater esset evasura: ubi *Dii Penates* perpetuam Sedem adipiscerentur, non Urbis unius, sed universi Orbis Romani Tutelam habituri.

Quanta *Penatium* reverentia esset, innuere voluit mox ante laudatus *Dionysius*, adducto *Coriolani* exemplo: qui plebis Romanæ furore in exilium coactus, Orationem suam, qua Matri, Patriæque valedixerat, hac exclamatione, imo de pectore suspirata, conclusit: *Valere, o Dii Penates, o Lares paterni, & Genii, qui hunc Locum custoditis!* Deinde subdidit Scriptor, non furda eum hæc Numina inclamasse. Tantis enim postea *Volscorum* viribus auctus est, ut ultionem de injuria sumens, tanquam Dux longe fortissimus, post plures Urbes alias Italas occupatas, ipsam Romam obsederit, & extremum in discrimen adducere potuerit, solius Matris precibus & lachrymis placatus. Tacet autem *Dionysius*, hanc ipsam veniam, Urbi datam, *Coriolano* plenum exitium, nihil patrocinantibus *Penatibus*, attulisse, quoniam post paulo a *Volsceis*, tanquam perjurus fidei, occisus fuit. Sic o quam saepe cum Historia luditur.

X.

XI.

XII.
TAB. VI.
N. VI.

PUBL. Sextus Numus tuus valde peregrinæ iterum formæ existit. Cippo namque, seu Columnæ Hermeticæ, forma, quæ hic cernitur, similior est, quam imagini cuiuspiam Divinæ. Supra quidem pectoretenus Deus juvenis videtur vestitus, brachiis vero nullis: quod eum deorsum restat, lapis est, quo magis descendit, rarior atque constrictior. A dextris est Sertum laureum, ad laevam simpulum. Epigraphe nulla. *TULL.* Pinxit hunc Denarium Cl. *Patinus* p. 57. in Gente *Calpurnia*, habetque in Aversa intra Sertum laureum, Pateram grandiolem libatoriam, & Cultrum Victimarium, Sacrorum imagines, cum epigraphe: *M. arcus PISO M. arci F. ilius FRUGI.* Sacram hic supellectilem *Ursinus* eo spectare credidit, ut Gentis *Calpurniæ* originem a *Numa Pompilio*, Sacrorum Romanorum potissimo Authore, repetendam edoceret.

XIII.

Imaginem Adversæ sive *Mercurium* dixeris, aut *Herman*, vel *Terminum*, prope perinde fuerit. Jam antea ex me audisti, *Mercurium* hoc ipso, quod fingeretur perpetuus Deorum Nuncius, etiam omnibus Viis publicis, ut Numen, præpositum esse, ejusque Signa in semitis omnibus, ac viis, tanquam itineris Monitores, constituta fuisse. De hoc veteres tradiderunt, Acervos Lapidum, in bivis cumprimis, ac triviis, in *Mercurii* honorem congestos esse ad *Hermulas*, i. e. ejus Dei Statuas quadratas, ad itinera demonstranda: quos Viatorum quisque præteriens novo Lapidis jactu augebat, ut exstantiores fierent, ac viæ rationem luculentius indicarent. Cum in bivio, trivio, aut quadrivio starent, omnium laterum titulis docebant, quænam semita vel hunc, vel illum in locum deduceret. Recto autem in tramite tanta ab invicem intercapedine locabantur, ut per eosdem vel milliaria, vel stadia numerari possent. Ex quo dici consuevit, hunc Locum ab illo, sive uno, sive altero, sive tertio *Lapide* distare. Recole, si placeat, quæ de Viarum publicarum ornamentis tibi dixeram Part. II. Dial. XXI. n. 7. Si de *Milliario* & *Stadio* quæras, hoc postremum Romano more computabatur 600. pedibus, & 125. passibus, eratque octava pars *Milliaris* Italici mille passuum: cum Germanici *Milliaris* solummodo pars trigesima secunda existat, quod quatuor mille passibus finitur.

Pitisc. in
Lex. voce
Lapis.

Hederich
in Lex
Scholar.
voce *Stadium.*

Her-

Hermæ, aut *Hermule*, nomen Græcorum erat, additum Statuis *Mercurii Cyllenii*, i. e. juxta fabulam, cum in monte dormiret, manibus truncati: quoniam Græci membro aliquo luxatos εὐλαχες appellabant. Aliam quadratarum *Hermarum*, sive *Mercurialium* Signorum rationem *Suidas* reddidit: *Hermæ* (ait) erant
 „ Athenis lapidei in vestibulis *Ædium*, atque Templis. Quia
 „ enim ajunt, *Mercurium* Sermonis, ac Veritatis Præsidem esse,
 „ propterea & ejus Imagines quadratas & cubicas fecerunt, indi-
 „ cantes, quod, quemadmodum ea, quæ hanc figuram habent,
 „ in quamcunque partem cadant, semper stabilia, & recta sunt:
 „ ita Sermo, & Veritas, ipsi sibi semper similis est, mendacium
 „ vero fluxum, multifidum, & minime sibi cohaerens. „ Com-
 „ ponebantur autem hujusmodi cubi quadrati frequenter ex duplici
 Deo, utriusque insigniis adjectis. Hinc erant *Hermathenæ* con-
 junctis imaginibus *Mercurii*, & *Minervæ*, Athenarum Deæ: item
Hermeracla, constantes ex *Mercurio*, & *Hercule*: præterea *Hermē-
 rates*, juncto *Mercurio*, & *Cupidine*: rursus *Hermapollines*, una *Mer-
 curium*, & *Apollinem* referentes &c. Hujusmodi *Hermarum* diversarum
 nonnullas imagines *Ceberr. Montfoconius* Part. 1. Tab. LXXVII.
 exhibuit.

Nomen *Termini* nova indiget expositione, quam capies *Dio-
 nysii* Halicarnassei prolixioribus verbis: „ *Numa* (inquit) ut con-
 „ tenti propriis, aliena non concupiscerent, cavit Lege de *ter-
 „ minandis* prædiis. Cum enim unicuique præcepisset, agrum su-
 „ um circumscribere, ac finibus *Lapides* constituere, hos *Jovi Terminali*
 „ sacros voluit. Jussit, ut quotannis res Divina, stata die, eo
 „ loco, paganorum in cœtu fieret, sacrato cum primis nobili Fe-
 „ sto in honorem Deorum, qui *Terminis* Tutelares præsiderent.
 „ Id Romani vocant *Terminalia*, sicut *Lapides* ipsos *Terminos*, quos
 „ nostri, una variante litera *βεγμῶνας*. Hos transferre si quis au-
 „ sus fuisset, vel tollere, caput ejus *Lege Terminali* his Diis de-
 „ vovit, interfectori ipsius tanquam sacrilegi promissa impunita-
 „ te, & puritate a scelere. Estque Jus hoc non in privatis modo,
 „ sed & in publicis quoque constitutum. „

Post paulo deinde subdidit: „ Deos putant *Terminos*, eis-
 „ que Sacra faciunt, non hostiam caedentes: quod nefas credere-

XIV.
 Servius
 Aeneid.
 VIII. v.
 138.
 In Lexico
 voce
 Ἐγμῶν.

XV.
 Libr. II.
 P. 133.

XVI.

„ tur, cruentari hos Lapides *Terminalis Dei*, tanquam Præsidis pa-
 „ cis, & Arbitri Justitiæ: sed Liba cerealia, frugumque primi-
 tias offerebant. „ Ungebantur itaque, & coronabantur hi Lapi-
 des: lapsu tamen temporis etiam victimis placabantur. Habebat
 vero Deus *Terminus* etiam Tempia, variis a Gentibus constructa,
 quando acris de Metis ac finibus contentio, qua & hodie nulla
 pertinacior esse solet, feliciter componebatur. Et Romæ quidem
 Sacellum in Capitolio alios inter Deos recepit a Numa: Dum
 Aeneid. IX. ad „ vero (referente *Festo*, & aliis) Tarquinius Superbus vellet Jo-
 vers. 446. „ vi Capitolino Templum extruere, & per Augures designa-
 „ retur Mons Tarpeius: evocati sunt Sacrificiis Dii, ut libenter,
 „ novi Templi condendi ergo, alios in locos migrarent. Quod
 „ cum omnes haud invitati fecissent, solus *Terminus*, h. e. *Limitum*
 „ *Deus* descendere noluit. Sacrificatum desuper, ac deprehen-
 „ sum, quod cum *Jove* remanens *Terminus*, Urbi æternum impe-
 „ rium Religione significaret. Unde in Capitolio prona pars te-
 „ sti patet, quæ *Lapidem* ipsum *Terminum* spectat: nam Termi-
 „ no non nisi sub dîo sacrificabatur: „ In quod pestremum sic *Ovi-*
 dius:

Nunc quoque, se supra ne quid, nisi sidera, cer-
 nat,

Exiguum Templi tecta foramen habent.

XVII.

PUBL. Ut abunde video, de unoquoque Deorum, quan-
 tumlibet lepidissimo, paginas, nisi librum, implere liceret, si
 paganorum omnium Scriptorum fabulas, & mysticos colores fatui-
 tatis poëticæ, in medium affere quis vellet. An vero nullus alius
 Numus cum *Hermæ*, vel *Termini* diversâ imagine tibi occurrit?
TULL. Apud *Aen. Vicum* Argento *Augusti* 45. to. exstat *Jupiter*
Terminalis, typo Columnæ quadratæ, infra rarefcentis, & supra
 cum asserculo transverso Crucis formam referentis, cui Caput se-
 nile, cum corona radiante impositum: in imo prominent solæ
 plantæ pedum, fulminique insistant. Juxta cippum adscribitur:
 IMP. CAESAR, Laudat hunc Numum etiam *Argelatus*, & obser-
 vat

vat, hic expressum videri gnomam Augusti, *Festina lente*. Stare etenim *Terminum*, contra vero *Fulmine* nihil celerius moveri. Cui ramentum fortassis opponat quispiam, *Terminum* nunquam festinare, ut *Fulmen* nunquam est lentum. Cf. *Patinus* p. 195. in aereo medio M. *Aurelii* Numo, cui parem alterum L. *Veri* alicubi *Triflanus* exhibuit, pinxit *Hermam* virilem coronatum, toto corpore nudo, solis brachiis truncatum, cum epigraphe: ΘΗΡΕΩΝ, i. e. *Therconitarum*, qui habitabant Insulam *Theram*, unam e *Sporadibus*, juxta *Cretam*.


PUBL. Delector hac varietate, qua promptior fio alias adhuc, si occurrerent, figuras *Terminorum* agnoscendas. *TULL.* In *Numis* haud puto frequentes eas esse: neque credere debes, *Termini* signa, obvia quidem ubique in agris, & compitis, culta tamen semper sed plerumque valde vilia fuisse. Docuit quippe *Apuleius* de eodem: „ Vel *Colliculus* sepimine consecratus, „ vel *Truncus* dolamine effigiatus, vel *Cespes* libamine humigatus, „ vel *Lapis* unguine delibutus. „ *Ovidius* quoque cecinit:

XVIII.

Floridor.
p. 758.Fastor II.
v. 641.

Termine, sive *Lapis* es, sive es desertus in agro
Stipes, ab antiquo tu quoque *Numen* habes.

PUBL. Ipsa certe copia non ubique pompam tulit, & ornatum: neque *Lapis*, aut *Lignum* divina censebantur, sed quod sub eis latere *Numen* creditum fuit.



DIA.